

CASUS
DE JUSTITIA ET JURE
DE DOMINIO
SEU

*De dominio filiorum familias, uxorum, Clericorum. — De modis
acquirendi dominium, scilicet de occupatione, inventione, præscriptione
et accessione.*

CASUS I.

DE DOMINIO FILIORUM 1°.

LEOPOLDUS, mercatoris filius, post patris obitum in domo paterna commorans, commercium indefesso labore ita prosecutus est, ut per octo annos duo millia scutorum lucratus fuerit. Postea autem, matre absque testamento defuncta, majorem hæreditatis partem sibi deberi contendit. E contrario duæ ejus sorores juniores et infirmæ, quæ nihil labore proprio lucratæ fuerant, æqualem partem cum fratre sortiri prætendunt, ex eo quod, coram lege, filiorum jura sint æqualia, quoties parentes ab intestato decedunt. LEOPOLDUS vero cum frustra reclamaret, notabilem pecuniæ summam sororibus incognitam, et quam penes se habebat, sibi servavit.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quænam sint jura filiorum familias?*
2° *An LEOPOLDUS majorem partem hæreditatis repetere possit,
et, sororibus id denegantibus, se compensare valeat?*
3° *Quid Confessario in pari casu agendum?*

SOLUTIO :

498. — *R. ad 1^m Quæst.* Varia sunt jura filiorum familias pro variis legibus diversarum gentium; unde unica regula definiri nequeunt. Ex Jure Gallico, filius familias perfectum habet dominium bonorum industria separata acquisite, vel ipsi soli donatorum. Directum autem tantum dominium habet in cætera bona ante annum 18 vel emancipationem; pater vero, et, eo deficiente, mater, eorum usumfructum percipit. Quoad bona ex hæreditate paterna et materna, ea æqualiter inter omnes filios dividenda sunt, nisi parentes testamento vel expressa donatione aliquid amplius uni vel alteri e filiis erogaverint, juxta limites juris ipsis a lege concessi.

499. — *R. ad 2^m Quæst.* 1° De jure *positivo*, LEOPOLDUS nihil amplius ac sorores requirere potest. Etenim, cum in sinu familiæ remanserit, ac nomine familiæ, et ope communis pecuniæ mercaturam exercuerit, et nihil amplius ipsi a parentibus concessum fuerit, ut patet ex casu, nulla ratione legali commodum majus ac alii hæredes reportare potest.

2° De jure *naturali*, videtur LEOPOLDUS posse majorem partem lucri a se acquisiti prætere. Hoc enim omnino æquitati consonum apparet. Ratio est, quia lucrum illud ingens quod fecit LEOPOLDUS non est fructus solius pecuniæ ad familiam totam pertinentis, sed est fructus industriæ singularis et laboris extraordinarii. Labor enim ille indefessus non debatur gratis sororibus. Præterea pactio sororum cum fratre, mortuo patre, de relinquenda hæreditate paterna in massa communi ad finem negotiandi, instar contractus societatis habenda videtur. Porro æquitati consentaneum est, ut is, qui in contractu societatis plus confert pecuniæ vel laboris, plus inde participet. Ergo LEOPOLDUS, qui non tantum æqualem pecuniæ partem, sed etiam ipse solus totum laborem ac industriam contulit, majorem partem de lucro memorato sortiri debet. Licet enim lex civilis hujusmodi casum non excipiat, videtur tamen dari locum alicui *epikeiæ*, saltem pro rata laboris *extraordinarii* et *indebiti*, de arbitrio viri probi et periti. Igitur LEOPOLDUS potest aliquam compensationem a sororibus petere. Si autem jus certum et evidens habeat ad aliquam compensationem, rigore loquendo, eam occulte facere posset, si alio modo id, ad quod jus habet, repetere nequeat. Sed in praxi hoc hallucinationis et periculi plenum est, proinde non permittendum, nisi forte a viris probis, gravibus et peritis prius probetur. Etenim, etiamsi LEOPOLDUS jus non æquivocum habere videatur ad aliquod emolumentum pro labore suo *extraordinario*, difficultas in quantitate ejusdem determinanda remanebit.

500. — *R. ad 3^m Quæst.* 1° Ante factum, Confessarius generatim a simili casu dirimendo absteat, quia communiter in his rebus temporaneis non erit sat versatus, ut difficultates solvere queat. Remittat igitur penitentem ad virum probum et peritum, qui, cognitis omnibus circumstantiis, prudens consilium præbere possit. Hæc enim sunt periculorum plena, et maxime hallucinationi obnoxia. Cæterum tota quæstio magnæ controversiæ subjacet, ut videre est in *Comp. n. 547*. 2° Post factum, facilius Confessarius rem tolerare, vel silentio prætere poterit. 3° Si aliqua sententia judicis auctoritate hac de re jam perlata sit, ei omnino standum erit. *V. Elbel, n. 77.*

CASUS II.

DE DOMINIO FILIORUM 2°.

MARIUS, cœnopolæ filius, a patre seniculo mittitur in diversa loca, ut varia emat vina. MARIUS autem, homo industrius, obtinuit ut vinum infimo emeret pretio, et pretium nonnihil auctum patri suo mendaciter dictitavit. Hinc factum est ut partim ex pretio cum tali lucro sibi reservato, partim etiam ex parcimonia in itinere servata, mensuram vini emerit, quam redux in patriam clam vendidit, adeo feliciter, ut centum scuta in suo peculio numeraverit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An, vel quomodo MARIUS peccaverit?*
2° *An, vel quantenus ad restitutionem teneatur?*

SOLUTIO :

501. — *R. ad 1^m Quæ.* MARIUS peccavit, et quidem, *per se, loquendo, graviter*, patrem decipiendo circa vini pretium, quia commisit mendacium patri suo perniciosum, ut patet. Ergo, si excessus fictus pretii sit notabilis, valor subtractus erit gravis, et proinde injustitia gravis. Mendacium tamen leve esset, si filius præsumere potuisset patrem non esse invitum, saltem quoad substantiam.

502. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o MARIUS tenetur quidem ad restitutionem pecuniæ quam subduxit, pretium vini apud patrem exaggerando, quia nullo titulo eam servare poterat. Si enim feliciter vinum infimo pretio emit, illud beneficium cedere debet patri, quem repræsentat, et cuius rem utiliter gerit, si casum excipias in quo labore et industria extraordinaria usus fuisset.

2^o Non tenetur restituere lucrum *parcimoniale*, quia a patre debebatur ei victus honestus, conditioni suæ proportionatus. Ergo si voluerit de tali victu congruo aliquid subtrahere, et marsupio suo potius quam stomacho applicare, pater nequit esse rationabiliter invitus. Etenim, si famulus mercatoris, v. g., in via incidat in aliquem socium itineris, qui loco illius sumptus necessarios solvat, sane non tenebitur restituere domino pecuniam quam pro victu expendere debuisset. Ergo multo minus filiusfamilias obligandus est ad refundendam patri pecuniam quam parce vivendo retinuit. *Elbel, de dominio, n. 80.*

3^o Neque tenetur restituere lucrum quod negotiatione privata comparavit, quia *industriæ ipsius extraordinariæ* tribuendum est; fructus autem industrialis ei qui industriæ studuit, debetur. Nec obstat quod filius lucrum fecerit ex pecunia patris : etenim illud non provenit tantum ex re paterna, siquidem fructum parcimonialem et industrium fecit suum; præterea nullum damnum patri intulit ratione lucri illius, siquidem omnem diligentiam adhibuit ad mandatum patris recte adimplendum. Ergo pater nihil aliud a filio requirere censetur. Profecto si MARIUS pecuniam parentis in itinere lusui exposuisset, periculo perdendi in se suscepto, et ei lusui vacando lucrum fecisset, non esset damnandus ad lucrum illud patri suo donandum, neque solent parentes ejusmodi lucrum a filiis exigere. Cur ergo MARIUS urgeretur ad reddendum lucrum, quod, intacta re paterna, ex negotiatione fecit? *Elbel, n. 82. — Tamb. l. 5, de Decal. c. 4, § 1, n. 7.*

CASUS III.

DE DOMINIO FILIORUM 3^o.

FERDINANDUS, filiusfamilias, dyscolus et bibulus, magnas fecit expensas in ludo et potationibus. VIRGINIA, ejus soror, puella modesta, laboriosa et parentibus obsequentissima, adstat sedulo in officina, ad negotia commercii paragenda. Lugens vero cernit rem familiarem deperire, nedum proficere. Hinc ad sibi providendum et aliquatenus pro futuro compensandum paulatim pecuniam, insciis parentibus, seponit. Jam penes se duo francorum millia tenet. Sed anxia Confessarium interrogat, ut sciat an tuta conscientia esse possit?

HINC :

QUÆR. An VIRGINIA injuste egerit, et ad restitutionem teneatur?

SOLUTIO :

503. — *R.* Quid tibi videtur? Nonne evidens est VIRGINIÆ indulgendum esse? Nonne eam miseratione dignam existimabis? Cernis misellam indefesso labori incumbentem, et rem familiarem, solam sustentem, dum dyscolus frater eam destruit! Attamen a peccato *mortali per se* excusari nequit. Ratio est, quia furtum in materia gravi commisit erga parentes rationabiliter invitos. Neque ulla injuria a fratre afficitur; siquidem bona ab illo dilapidata ad parentes, non ad illam pertinent. Ergo VIRGINIA nullum jus habet ad compensationem. Viderint ipsi parentes, an expensas filii tolerare velint.

504. — *Obj.* Juxta auctores plures, valde graves, filiifamilias in simili casu saltem mercedem famulo debitam merentur; ergo VIRGINIA titulo compensationis pecuniam subreptam pro rata laboris retinere potest.

R. Illa doctrina est periculorum plena, ut supra dictum est, nec facile in praxi toleranda. Insuper, juxta patronos hujus sententiæ, filiusfamilias pro labore suo mercedem repetere non posset, nisi defunctis parentibus, quia antea certo jus nullum habet. Attamen, si VIRGINIA usa fuerit labore omnino *indebito*, v. g. si vigiliis ultra morem produxerit, etc., aliquam meretur indulgentiam, ut de MARIO in casu præcedenti dictum est. *Elbel, de Restit. n. 276.*

CASUS IV.

DE DOMINIO UXORUM.

1^o APOLLONIA, arte pingendi peritissima, LAZARO, sponso suo, artifice, præter artis suæ peritiam, nihil prorsus possidenti, dotem mille scutorum contulerat. Tempore vero matrimonii, quatuor scutorum millia ex industria et labore ambo lucrati sunt. Hinc APOLLONIA morti proxima, et omni prole orbata, maritum obligat ad duo milia scuta in pias causas eroganda. Maritus moribundam affligere nolens, omnia promittit; sed, defuncta comparte, inquit a Confessario an vere teneatur ad expendendam hanc summam quam nimiam esse putat.

2^o DARIA, juri suo cedens, marito permisit ut dotis partem detraheret ad aliquem contractum ineundum, debitave solvenda. Mortuo autem marito, DARIA hanc dotis partem vult juridice reclamare, sciens tales contractus sententia judicis semper irritari, eo quod dos uxoris alienari non possit.

HINC :

QUÆR. 1^o Quænam sint bona varia uxorum?

2^o An LAZARUS teneatur legatum uxoris solvere?

3^o An DARIA dotem repetere possit?

SOLUTIO :

505. — *R. ad 1^m Quæ.* Bona uxorum varia sunt pro variis gentium

legibus. Communius sunt : 1° *dotalia*, quæ ab uxore afferuntur in dotem ad matrimonii onera sustinenda, et quæ, soluto matrimonio, sola ei retribuantur; 2° *communia*, quæ utrique conjugum quoad dominium directum et utile competunt; 3° *paraphernalia*, quæ uxor sibi præter dotem reservat. *V. Comp. n. 548.*

506. — *R. ad 2^m Quæst.* 1° Ad casus hujusmodi solvendo, perpendendæ sunt variæ pactiones inter conjuges statutæ, scilicet, an contractus matrimonii initus fuerit sub conditione dotis tantum ab uxore persolvendæ, an vero ita ut bona acquirenda in matrimonio forent communia, etc.; quænam sint leges communes, vel locorum particulares. Si Confessarius non sit bene versatus in hujusmodi rebus, plenior comparare debet notitiam, priusquam difficultates solvat, vel pœnitentem ad alium peritiorum remittere.

2° Ad casum nostrum, si bona tempore matrimonii lucranda fuerint communia, ita ut cuique conjugum medietas competeret, APOLLONIA dimidiam partem bonorum communium in legata pia impendere potuit, et proinde vir totum legatum exsequi tenetur. Si vero, ratione contractus matrimonialis, uxor ad solam dotem jus habuerit, dotis valorem in legatis piis excedere non potuit. Si igitur jura sua excesserit, pro rata excessus legata imminuenda erunt.

R. ad 3^m Quæst. DARIA *per se* jus habet ad obtinendam contractus rescissionem, vel ad compensationem pro detrimento doti illato; quia dos uxoris alienari non potest. Excipe : si uxor jam æquivalenter compensationem obtinuit, v. g. si maritus ad ejus commodum dotem adhibuit, etc.

CASUS V.

DE DOMINIO CLERICORUM.

POLYDORUS, Parochus, neglectis pauperibus, notabilem pecuniæ summam ex stipendiis Missarum aliisque honorariis, ex beneficio vel pensione a Gubernio accepta, ex parcimonia in victu, collectam, partim in varios cognatos et amicos distribuit, partimque in senectutem reservat. Sed, repentina morte correptus, absque testamento e vivis sublatus est. Quare pecunia reservata simul cum relicto patrimonio inter hæredes dividitur.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quænam sunt bona quorum Clerici dominium habent?*
 2° *An teneantur ex justitia superfluum bonorum ecclesiasticorum pauperibus distribuere?*
 3° *An, vel quomodo peccaverit POLYDORUS?*
 4° *An hæredes teneantur pauperibus restituere?*

SOLUTIO :

507. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° Clerici dominium perfectum habent bonorum *patrimonialium, industrialium, et casualium*, quia hujusmodi bona sunt omnino *civilia*, non vero *ecclesiastica*, et proinde ratione eorum Clericus

haud secus ac laicus habendus est. 2° Idem dicendum est de bonis quæ Clericus ex *parcimonia* de redditibus beneficii obtinuit, quia jus habet ad honestam sustentationem, et proinde quod stomacho subtrahit, propriæ crumenæ superaddit. 3° Habet dominium utile bonorum *ecclesiasticorum*, ita ut iis uti possit ad honestam sustentationem, ea tamen conditione ut omne superfluum in pauperes, vel causas pias erogare debeat. Ex multis Conciliorum testimoniis constat.

R. ad 2^m Quæst. Neg. probabiliter, quia, licet Clerici debeant ex Ecclesiæ præcepto superfluum bonorum ecclesiasticorum pie impendere, de obligatione tamen justitiæ non constat. *V. Comp. n. 560.*

508. — *R. ad 3^m Quæst.* 1° POLYDORUS non peccavit *per se* erogando in cognatos vel amicos donaria, ex stipendiis Missarum aliisque honorariis, aut ex parcimonia in victu collecta, ut patet ex dictis. 2° Peccavit vero et quidem *per se* graviter, pecuniam ex beneficio ecclesiastico habitam, neglectis pauperibus, similiter impendendo. Idem dicendum est etiam de superfluo ex pensione a Gubernio accepta in locis in quibus hæc pensio succedit beneficiis; quia instar beneficii ecclesiastici habenda est, ut pluries a *S. Pœnit.* decisum fuit.

509. — *R. ad 4^m Quæst. Controvertitur*, ut patet ex dictis. Hinc *probabiliter* hæredes absque injustitia et peccato totam hæreditatem retinere possunt. Ratio est, quia nequeunt obligari, nisi titulo justitiæ, ad restitutionem aliquam in causas pias faciendam : atqui deest fundamentum obligationis ex justitia; etenim ex dictis POLYDORUS *probabiliter* non peccavit contra justitiam, beneficii superflua retinendo, seu pauperibus non erogando : ergo neque hæredes obligatione justitiæ ligari possunt; obligatio enim major et diversæ speciei dari non potest in hæredibus, quam in ipso auctore. Porro, si hæredes non tenentur ex justitia, neque etiam alio titulo, et proinde non peccant totam hæreditatem retinendo. Etenim obligatio POLYDORI fuit mere *personalis*, non vero *realis*, saltem probabiliter; atqui obligationes *mere personales* ad hæredes non transeunt, sed solæ *reales* : ergo hæredes non sunt inquietandi. Præterea in praxi maxima est difficultas sciendi utrum pecunia a Parocho relicta ex redditibus superfluis beneficiorum, vel aliunde proveniat. Non enim constat quod POLYDORUS secreto sufficienter eleemosynas non dederit. *V. Comp. n. 558 et seq.*

CASUS VI.

DE OCCUPATIONE 1°.

1° CHRISTOPHORUS, tempore belli, dum civitas obsidione premeretur, et injectione globorum ignivorum infestaretur, dumque palatium cujusdam divitis, flammis in immensum crescentibus, incenderetur, domesticis omnibus aufugientibus, et de extinctione incendii desperantibus, domum latenter ingressus est, ibique cistulam auri plenam abstulit, evasitque prospere, de felici sorte gestiens; eam pecuniam absque ullo scrupulo sibi servavit, hujusmodi lucrum industriæ suæ extraordinariæ, vel potius audaciæ tribuens.

2° FORTUNATUS, urbe ab hostibus capta et direpta, emit ab aliquo milite aliqua vestimenta, exiguo prorsus pretio. Postea vero, cum hæc vestimenta accuratius lustrasset, in eis reperit insutos non paucos aureos, quod optimæ providentiæ Dei tribuens, absque ullo conscientiæ remorsu servavit.

HINC :

QUÆR. 1° An CHRISTOPHORUS in primo casu pecuniam incendio surreptam sibi retinere valeat?

2° An FORTUNATUS in secundo casu servare possit pecuniam in vestimentis emptis a milite inventam; vel militi restituere debeat, si eum noverit, vel domino, si appareat?

SOLUTIO :

510. — R. ad 1^m Quærs. Neg. Ratio est, quia res quælibet e periculo interitus erepta, manet domini sui. Hinc axioma: *Res clamat ad dominum*. Licet enim CHRISTOPHORUS sine injuria potuisset permittere ut cistula hæc combureretur, attamen, eo ipso quod illam e periculo eripuerit, ad eundem dominum pertinere pergit, sicut domus incendio erepta, non ad illos qui flammam exstinxerunt, sed ad pristinum dominum pertinere agnoscitur. *Lacroix, l. 3, p. 2, n. 112. — Elbel, n. 172.*

511. — R. ad 2^m Quærs. 1° FORTUNATUS non tenetur militi reddere aureos in veste repertos. Ratio est, quia, etiamsi miles juste acquisiverit vestes, v. g. in bello justo, non tamen acquisivit dominium in aureos sub vestibus latentes; nec possunt dici pertinere ad pretium vestis, siquidem eos ignoravit, nec proinde animo domini unquam possedit. Ignoti autem nulla est possessio, sicut nulla cupido. 2° In casu in quo cognosceretur dominus, ei reddenda est præfata pecunia, quia animum possidendi rem suam nunquam abjecit, et dominium ejus servavit. Nam ablatio a milite facta *materialis* fuit potius quam *formalis*, respectu aureorum latentium, et proinde non obstat possessioni civili ex parte prioris domini. *Elbel, ibid.* Attamen ne domino quidem, licet cognito, reddenda esset præfata pecunia, si vestis a milite in bello justo surrepta fuerit; quia in eo casu, ejus occupatio ab hoste facta non fuisset injusta.

CASUS VII.

DE OCCUPATIONE 2°.

1° MARTIALIS, miles, in media strage surripuit variis hostibus, vel etiam sodalibus mortuis et in campo jacentibus, pecuniam et manualia horologia, quæ sibi fecit propria. Cum autem, in patriam redux, id Confessario aperuisset, jussus fuit hæc eadem, vel eorum pretium pauperibus distribuere, aut in pias causas impendere.

2° ANATOLIUS, dum venatio prohiberetur, leporem occidit in prædio SEMPRONII non clauso. Repente apparens SEMPRONIUS, minatur se ANATOLIUM denunciaturum esse, nisi sibi prædam relinquat. Timore damni majoris, venator abiit vacuis manibus ac pudore suffusus.

HINC :

QUÆR. 1° An MARTIALIS possit retinere res omnes quas in strage accepit?

2° An SEMPRONIUS juste egerit? vel quid juris?

SOLUTIO :

512. — R. ad 1^m Quærs. MARTIALIS potest hæc omnia servare, si hostem a se occisum spoliaverit; hæc est enim generalis consuetudo. Videtur etiam excusandus, si alios hostes prostratos exuerit. Si vero res a sodalibus occisis acceperit, eas parentibus vel hæredibus defunctorum cognitis restituere debet, in quantum fieri potest et rei valor requirit.

513. — R. ad 2^m Quærs. Quid de SEMPRONIO? Ex modo dictis, fera occisa fuit ANATOLI, venatoris. Attamen in casu præsentis non est damnandus de injustitia SEMPRONIUS, quia jus habet venatorem denunciandi; proinde hic, prædam illi abjiciendo, se redimit a justa vexatione, seu a justa pœna. Etenim, si reapse denunciatus fuisset, majus damnum subiturus fuisset.

CASUS VIII.

DE OCCUPATIONE 3°.

1° AQUILINUS ad feram captandam laqueum ponit. Absque mora fera in eo implicatur. CAIUS per hunc locum casu transiens, eam illinc extrahit et asportat, ut ea fruatur.

2° PROCULUS, peritus venator, leporem suscitavit; ejus canes strenue feram insequuntur. Verum, lepus aufugiens transit coram PAULINO, alio venatore, et ab eo occiditur.

3° ATTILIUS, venator, leporem in campo aperto CAII occidit. Obstat dominus, qui casu præsens aderat, ne venator prædam tollat. Imo arripit ipse, et cum amicis manducat.

HINC :

QUÆR. 1° An fera sit AQUILINI vel CAII in primo casu?

2° An PROCULI aut PAULINI in secundo casu?

3° An ATTILII aut domini in tertio casu?

SOLUTIO :

514. — R. ad 1^m Quærs. Fera est AQUILINI, quippe qui laqueum posuit, et ope laquei eam occupavit, si adeo impedita fuit ut inde evadere non potuerit. Etenim fera illius esse debet qui laqueum posuit, et fugiendi facultatem ei præcidit; siquidem est auctor laquei, et laborem atque industriam ad animal capiendum adhibuit. *Comitolus, l. 4, q. 29. — S. Lig. Hom. ap., n. 71.*

R. ad 2^m Quærs. Lepus est PROCULI qui eum suscitavit, et quem per canes prosequeretur, si verisimiliter a canibus capiendus fuerit. Secus ad occisorem pertinebit. Ratio ex modo dictis liquido constat. Igitur, in hujusmodi casibus, quam maxime ad omnes circumstantias attendendum est,

ut sciatur ad quem fera pertineat. Pertinet enim ad venatorem qui jam eam moraliter occupasse censetur, licet adhuc neque apprehenderit, neque occiderit.

515. — *R. ad 3^m Quæst.* Fera est ATTILII, venatoris, quippe qui occidendo fecit suam, licet arripuerit modo illicito, seu absque venia domini agri. Proinde dominus injuste egit, prædam sibi tribuendo et manducando; non enim erat fructus agri. Ergo ad restitutionem tenetur. Licentia ejus requirebatur quidem, sed eam concedere tenebatur. Si tamen damnum aliquod ab ATTILIO latum fuerit in agro CAII, hic indemnitate exigere potuit.

CASUS IX.

DE RE INVENTA 1^o.

FELIX, iter faciendo, crumenam auro refertam in media via reperit. Inquisito diligenter quidem, sed frustra, domino, felici casu gaudens, putat rem fieri nullius, et proinde sui esse, utpote *primi occupantis*. Verum, cum, aliquo scrupulo motus, rem Confessario patefecisset, ab eodem obligatur sub gravi ad eam pecuniam pauperibus distribuendam. Paulo post, cum aliam invenisset pecuniam, eam in media via reliquit, ut omnem effugeret obligationem; sed non effugit seriam Confessarii objurgationem, ex eo quod graviter caritati defuerit.

HINC :

- QUER. 1^o *An inventor rei alicujus possit eam sibi servare, si dominus, diligenter et diu inquisitus, non compareat? vel eam in pias causas impendere teneatur?*
 2^o *Quid de agendi ratione FELICIS et Confessarii?*
 3^o *Quid vero, si FELIX pecuniam repertam primum accepisset, et postea in eodem loco reposuisset?*

SOLUTIO :

516. — *R. ad 1^m Quæst.* Probabilius inventor rem sibi retinere potest, quia reapse res in iis circumstantiis pro derelicta habenda est. Dominus enim, licet absolute dominium illius non amiserit, moraliter tamen amisisse censetur, cum de ea neque uti, neque disponere ullo modo possit. *S. Lig. n. 603*, dicit hanc sententiam esse *veriozem*. Theologi tamen non pauci contendunt rem inventam, in eo casu, in causas pias impendendam esse. *V. Comp. n. 578*.

517. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o FELIX non damnandus est ex eo quod rem prius inventam servaverit. Sequitur ex dictis. Ergo Confessarius qui eum sub gravi obligavit ad rem pauperibus erogandam, ipse damnandus est. Debuisset enim pium illud opus suadere tantum, non vero sub peccato, præsertim gravi, præscribere. 2^o FELIX male fecit, rem in secundo casu inventam in media via relinquendo; debuisset ex caritate eam colligere pro domino, si forte inveniri posset. Etenim ex principio generali caritatis tenemur damnum proximi notabile impedire, cum id facile præstare possu-

mus. Non peccavit quidem contra justitiam, hanc pecuniam in media via relinquendo, siquidem nullo speciali officio, nullove contractu, ad eam colligendam tenebatur; sed peccavit contra caritatem, non avertendo damnum proximi, quod facile impedire poterat. Ergo merito a Confessario objurgatus est. An autem reus peccati gravis evaserit? Hoc ex solis circumstantiis colligendum est. Sed generatim dici potest talem omissionem gravem esse, si res inventa sit magni pretii, et adfuerit magna probabilitas dominum detegendi.

518. — *R. ad 3^m Quæst.* In hac hypothese FELIX peccasset etiam contra justitiam, quia rem alienam in loco tuto jam existentem, periculo exposuisset, perinde ac ille qui pannum ab incendio a se ereptum, in ignem projiceret. *Elbel, n. 172*. — Præterea, rem alienam colligendo, suscipit obligationem ex justitia eam domino restituendi, si possit.

CASUS X.

DE RE INVENTA 2^o.

BARBARA, cauponis famula, tabernam verrendo, tres aureos papyro involutos reperit. Primum obstupescere illa atque mirari! Quid est hoc, ait? O miram Dei providentiam! Verum, re paululum perpensa, subsequitur animi perplexitas... Cujus sint aurei prorsus ignorat, quia hac die adfuit magnus hospitem peregrinorum concursus. Quid igitur de pecunia faciendum? Urgente conscientia, satagit ut ejus dominum detegat, sed absque successu. Cum autem aureos diu detinuisset, domino non comparente, statuit eos sibi servare. Attamen, errandi formidine pressa, rem duobus subjicit Sacerdotibus. Prior dicit pecuniam domino domus distribuendam esse. Alter opinatur eam pauperibus necessario distribuendam esse. Igitur BARBARA anxia remanet.

HINC :

- QUER. 1^o *An pecunia sit domino domus tribuenda?*
 2^o *An pauperibus distribuenda, vel utrum ab ancilla ad usum proprium servari possit?*
 3^o *Quid faciendum BARBARÆ, si, ex jussu vel consilio Confessarii, pecuniam in causas pias impenderit, et dominus ex insperato casu appareat?*

SOLUTIO :

519. — *R. ad 1^m Quæst.* BARBARA minime tenetur pecuniam a se inventam domino tabernæ tribuere, quia hic nullum jus in eam habere potest. Etenim ex omnibus adjunctis constat eam pecuniam non ab ipso fuisse amissam, sed ab aliquo hospite extraneo. Ergo nullum jus habet in illam, ne pro parte quidem, cum neque sit thesaurus, neque fructus fundi.

520. — *R. ad 2^m Quæst.* BARBARA non tenetur pecuniam a se inventam impendere in causas pias, licet melius faciat si eam sic expendat, et ad id hortanda sit. Ratio patet ex dictis in responsione ad casum præcedentem.